Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2331
Quelle:
Copyright:

Vichardi Carmen Satyricum contra Monachos in *Biblioth. Regiomont.* teſtatur *Fabricius* L. XX. p. 291. Atqui haec omnia Carmini noſtro ad amuſſim quadrant. Neque obſtat, quod apud *Fabricium* dicatur *Flacius* illud e veteri *Cod.* deſcripſiſſe. Hoc enim ipſo, quod *Vichardus* in ejus *Collectione* nomine ſuo non compareat, manifeſtum videtur, ſerius eum, et poſt *Collectionem* jam vulgatam in exemplar *Vichardi* nomen praeferens incidiſſe. Praeterea Autor in exordio Carminis duos Epiſcopos *Gallos*, *Hugonem* nempe *Dienſem* et *Hugonem* (ut melius legit *Tannerus*, quam *Ottonem*, qui nullus fuit) *Sueſſionenſem* adpellat, quod utique de *Vichardo* homine *Gallo*, quam *Gualone Cambro*, credibilius. Ita enim legitur in editis:

Quam (Satiram) *quia uir magnus corroborat Hugo Dienſis*
Noſter amicus eam legat Otto (Hugo) *Sueſſionenſis.*

Pro quo in Codice:

Quam quia paſtores commendant eccleſiarum
Summus eam paſtor corroboret eccleſiarum.

Optime nodum inciderit, qui τὰ ἀπογραφὰ *Regiomontani* Verſus initiales protulerit. Ceterum *Hugonem* illum *Dienſem* primum hujus nominis habeo, qui ab anno 1080. ad an. 1099. *Hugonem* vero *Sueſſionenſem* ſecundum hujus nominis, qui ab anno 1093. ad an. 1103. ſedem tenuit. *Bernardus* namque *Morlanenſ.* in *Prologo* ſaepius *cit.* ita de *Wichardo*, ejusque *Satira* loquitur, ut adpareat, ſatis temporis ab hoc usque ad illum effluxiſſe. Sed jam collationem *Satirae*, prout in noſtro *Cod.* legitur, cum Editis perſequamur. Flac. *Pura Cibaria.* Cod. *Dura.* Flac. *invigilabant. piabant.* Cod. *invigilabat. piabat.* Fl. *Eccleſiaſtica comparat omnia dona.* Cod. *Comparat omnia ſpiritualia dona.* Fl. Diſtichon, quod finitur *ſenſu*, *cenſu*, abeſt a Cod. Alterum, quod finitur *cauſa*, *clauſa*, in Flac. ſecundum verſum habet: *Clamat ad oſtia ſpiritualia jam ſibi clauſa;* in Cod. *Intrat ouilia deſuper hoſtia iam ſibi clauſa.* Sequitur in Cod. Diſtichon:

Ordo monaſticus eccleſiaſticus eſt moribundus.
Inſatiabilis, irreuocabilis, et furibundus.

quod Fl. non habuit. Fl. ad v. *Terra pecunia* &c. pariter non habuit ὁμοιοτέλευτον:

Unde ſuperbia ſiue potentia magnificantur.

Diſtichon